B. N. C
FIRENZE
1001
9

FRANCISCI
CAESARIS AVGVSTI
MVNIFICENTIA.

1001. 9

P. ÆMILII LVCHINI
ART. ET PHIL. D.

PVBLICI HVMANIORVM LITERARVM

IMOLAE PROFESSORIS CONDVCTI.

DE SANCTI CASSIANI
VITA, ET MORTE COMPENDIVM

Ad PerIlluſtrem, & Reuerendiſs. D.

D. RODVLPHVM PALÆOTVM

[illegible] Ciuitatis Epiſcop. Vigilantiſs.



BONONIAE Apud Hæredes Io. Roſsij M. DC. XIV.

Superiorum Permiſſu.

Per Illuſtri, & Reuerendiſs. D.

D. RODVLPHO PALAEOTO

Imolen. Eccleſiæ Vigilantiſsimo Epiſcopo D. ſemper obſeruandiſsimo.

P. AEMYLIVS LVCHINVS S. ET F.P.

QVID tua mecum valeat auctoritas, Per Illuſtris, & Reuerēdiſsime Præſul., ex hoc potiſsimum colligas argumento, quod vix mihi te aliquid de Sancto tuo (Pace veſtra Sanctiſsima Trinitas) Tutelari Deo ſcire cupere ſignificaſti, cum ego ad tuæ cupiditatis ardorem, qua mihi licuit indaga-

tione, reſtinguendum audaci animo ſum aggreſſus. Ex quam tenebroſis hiſtoriarum, & Conciliorum latebris, quod ſcripſi, deducendum mihi fuerit, duæ tibi ſignificent conſiderationes: Altera, quòd tibi, auidè iſta quærenti, ſcriptorum farraginem valde magnam delatam fuiſſe non ignoras, at talium, vt ex tot in tali genere voluminibus ad te perlatis illuſtre nihil, vel pręclarum ſitienti animo tuo perſpectum fuerit arridere, vniuerſam quaſi mentis ſerenitatem ad huius noſtri Compendij, vt voce pariter, & ſcriptis indicaſti, comprobationem reſeruares. Altera, quòd eorum nominum index, qui præſentem paginam ſubſequetur, inanem operam ex alijs, quam reconditis, illuſtrium hominum monumentis hęc deducere cogitantem ſumpturum ſemper eſſe, tibi poterit atteſtari. Quam pauci dies in eo compaginando conſumpti mihi fuerint, tute noſcis; in quot vero, & publicis, & priuatis

occu-

occupationibus detento, ipſa Ciuitas, cui gratam, vt perſpicere mihi videor, per tot iam annos operam præſto, fidele referat teſtimonium. Vnde aliqua, ſi minus multò, quam ſancti eius, cuius vitam, & illuſtria geſta hic ſumpſimus recolenda, auctoritas vtiq; venerãda, vel tua eius recolendi ſemper auida quæſiuiſſet intentio, in hoc dedimus, ſperari poterit excuſatio. Non defuturos, qui naſo, vt ait Lyricus, adunco iſta ſuſpendere quærant, eſt Nobis omnino manifeſtum, tuæ tamẽ auctoritatis clypeũ mordentis quamlibet Theonini dentis importunitatem eſſe quoque retuſurum confidimus, tam pij Præſulis mãdatis obtemperauiſſe pluris facientes, quam laudem, ex aliorum placitis retuliſſe. Ita Deus, in tui Gregis incolumitatem, & in maiorẽ S. Caſſiani cum temporis auxilio, exaltationem, quam diutiſsimè te conſeruet.

Imolæ ex Aedib. publ. Cal. Maij CIↃIↃCXIV.

Auctorum nomina, vnde præſens vita eſt deducta.

ADonis Martyrol.
Alphōſ Ciaconius.
A. Gelius.
Baptiſta Fulgoſus.
Baronij Annales, & Martyrolog.
Beati Sulpitij hiſt. Eccleſ.
Beda Præsbyter.
Bembus Cardin.
Bibliotheca SS. Patrum.
Calend Roman.
Epiphanius.
Euſebius.
Gennadius S.
Hieronymus S.
Ioannes Lucidus.
Iſidorus de viris Illuſt.
Onuphrius Panuinus.
Philippus Beroaldus.
Philippus Saxus manu ſcript.
Platina de vitis Pontif.
Quintilianus.
Ruffinus.
Sigonius.
Socrates.
Sozomenes.
Suetonius.
Surius.
Theodoretus, & alij &c.

Imprimatur.
F. Paulus Inq. Bonon.

D. Marcellus Baldaſsinus Clericus Regularis ſancti Pauli pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Archiepiſcopo Bonon.



Martyrium S. Caſſiani Imolę Protectoris.

DE VITA, ET MORTE SANCTI CASSIANI PROTECTORIS IMOLÆ COMPENDIVM.

AB vniuerſis ferè anteactarum perſecutionum tempeſtatibus ſecura Petri Nauicula vniuerſalem, Magni Conſtantini permiſſu, tranquillitatem poſsidebat, quod is in ſaluberrimo Regenerationis noſtræ lauacro per Syluestrum Pontificem, Chriſtiq; in Romana Sede Vicarium aſperſus, Chriſtianæ Religionis patrocinium, velis equiſque, vt aiunt, fuerat amplexatus, cum bene compoſitæ cuiuſcunque voluntatis inimicus Dæmon in Arrij cuiuſdam Alexandrini Presbyteri viſceribus igniculum excitauit, vt pernicioſiſsimam de ſan-

ctiſsimæ Trinitatis conſubſtantialitate, cum Alexandro Epiſcopo diſputationem iniret, Patrem, & Filium vt duæ diſtinctæ perſonæ planè ſunt, ſic duas etiam gerere naturas exiſtimandos, ac Patrem quidem æternum, ſineque principio, filium verò, nec æternum, nec ſine principio, eſſe iudicandum. Quæ peſtis non longo temporis interuallo contagij ſui radices in Orientalium Epiſcoporum cordibus ſic infixit, vt ni plurium Catholicam fidem ſincerè profitentium, Patrum fortes clypei acrius obſtitiſſent, præcipuumque Athanaſij Alexandrique Epiſcopi, & Oſij Cordubæ (licet is denique annum agens ſupra centeſimum rebellis fieret) vt ab ipſius Athanaſij Apologia, à Socrate, à Sozomene, à B. Sulpitio, & ab alijs Eccleſiaſticarum rerum ſcriptoribus deducitur, eadem ſanctiſsima Petri Nauicula in paulominus, quam manifeſtum irreparabilis naufragij detrimentum lapſura videretur. Ad tantas autem perturbationes comprimendas idem, qui ſupra dictus eſt, bonus Imperator Conſtantinus è Thracia in Orientem tranſiens, vt Orientales Prouincias, quas, Licino earum Domino funditus euerſo, militari iure occupauerat, componeret, Concilium contrà ſceleſtã Arrianorũ perfidiã Niceæ Bithiniæ Ciuitatis, cũ præcedenti Romani Pontificis auctoritate, indixit. Cuius progreſſus, vt in infinitis penè ſacrarum rerũ ſcriptoribus habeatur, potiſſimum verò ab Euſebio,

Socrate, Ruffino, Theodoreto, & ab alijs etiam probatiſsimis auctoribus, explicantur, qui fuit annus à ſalubri Mundi reparatione 325. Paulino, & Iuliano Coſſ.

Conſtantino interim ex humanis rebus Naturali ordine ſublato, Eccleſiæ Protectio iterum eſt derelicta; idque Conſtantini, Conſtantij, & Conſtantis, parum admodum Patris ſimilium filiorum hæreditaria in Imperium ſucceſsione legitur eueniſſe. Unde noua nouarum moleſtiarum tempeſtas Petri Nauiculæ iterum eſt coorta, quam dici præter omnem dubitationem poteſt, à nouiſsima Diocletiani, & Maximiani, quæ Nona fuit, perſecutione decimam extitiſſe. Temerarijs cuius furoribus multos Christi Martyres optatorum martyriorum Coronas adeptos eſſe à bonis cuiuſcunque declaratur hiſtorijs, interque hos ſanctiſsimum quoque Confeſſorem noſtrum Caſsianum, de quo in compendioſa iſta narratione habendus eſt nobis ſermo, fuiſſe numeratum. Quam totam in quattuor potiſsimum capita diuidendam conſtituimus; præcipuam tantorum cruciatuum cauſam in primo aperire ſatagentes, bonis, quantum poterimus, dilucidatis opinionibus, & falſis, quæ abundè circumferuntur, è conuerſo etiam reprobatis. In ſecundo eiuſdem martyrij tempus, Deo dante, nitemur inueſtigare, acerbiſsimæ huius crudelitatis indignas rationes explicantes in tertio. Et in quarto denique loci eius, in quo

effectum hæc ſortita fuiſſe coniectemus, deſcriptio proponetur; quo clarior earum rerum fiat certitudo, quæ aliquam, vel de ſancto Martyre, vel de venerandis eius Reliquijs ambiguitatem poſſent excitare.

Ac primo quidem, huius nominis præſtantes quinque Chriſti Milites in Eccleſiaſticis monumentis, & in Calendarijs, ab Apoſtolica Sede comprobatis, inueniri eſt animaduertendum. Salua ſemper Baronij auctoritate, qui ſex in ſuo nominat Martyrologio, multoque plures in Annalibus; ſed, quia ſemper nō conuenit cum ijs auctoribus, quos imitari profitemur, Nos illos tantum quinque, quos claré nouimus approbatos, qua maiori breuitate poterimus, ſingillatim nitemur explicare, vt, ablata ea nominis ſimilitudine, vnde poſſet error aliquis, vel in non cauto lectore ambiguitas emanare, quinam is veré ſit, de quo hic nobis habendus eſt ſermo, perſpicué penitus intelligatur. Licet præſenti aliqua Nationis, vel Populi alicuius perſuaſione, vel melius, etiam, pia in ſanctum aliquem Religione, propter eorum, qui ſub Caſsiani appellatione in diuerſis Mundi partibus recoluntur, ſanctorum diuerſitatem contentio aliqua facillimé poſsit excitari: Vt, exempli gratia, in Tudertum Eccleſia cernimus euenire, quæ in ſancti Fortunati Aede ſancti Caſſiani, eius Vrbis olim Epiſcópi, ſub Imperium Diocletiani á Diſcipulis, quos erudiebat, pugillaribus ſtylis con-

fixi,

fixi, & lacerati corpus habere ſe prædicat; eiuſque etiam particulare officium celebrans, Natalitia ex Imolæ Ciuitatis conſuetudine ſextilis Idibus ſolemniter recolit. Quam quidem Nos opinionem, ſaltem quòd ad Martyrium attinet ſcriptoris alicuius adhuc viſi auctoritate probabilem non iudicamus; quamuis enim Baronius in ſuo eum nominet Martyrologio, aliam tamen, quam Tudertinæ ipſius Eccleſiæ, auctoritatem non ſequitur; nec tali etiam Martyrij genere, vt Tudertes aſſerunt, fuiſſe memorat excruciatum; quod de illo tamen Sancto Caſsiano, qui celebratur Imolæ, apertiſsimè dicit; quin etiam Natalis auctoritas, quæ fuit Nobis à particularibus Tudertum literis ſignificata, illorum conſilij contraria eſſe penitus videtur, quod videlicet Sanctus ille Caſsianus, qui ſextilis Idibus celebratur præter ſanctum Imolæ Caſsianum, ab eodem Natali Confeſſor, & Presbyter eſſe memoratur, de quo ſanctus Gennadius meminit, qui poſt multos pro ſanctâ Eccleſia labores toleratos, Maſsiliæ mortuus dicitur, non Tuderte. Cuius vitam pariter, & mortem, cum quartus in noſtro ordine ſit, inferius explicabimus. Stet verò ſua fideli cuique Populo, & in ſanctorum gloriam, & in ſanctos venerantium meritum, ex nulla parte mobilis Religio.

Nos in quod cœpimus, inſiſtentes, Caſsianum quendam natione Alexandrinum, ſancti Zenonis Alumnum,

fuiſſe reperimus, qui ſanctam ſancti Simplicij, Auguſtodunenſis Epiſcopi, eruditionem poſtea ſectatus, communi eius Cleri, Populique conſenſu ipſi vita functo Simplicio fuit ſucceſſor in Epiſcopatu deſtinatus. Cuius corpus, vt in Bibliotheca ſanctorum Patrum Tomo ſeptimo narratur, in quodam propè Auguſtodunum Cæmeterio tumulatum conſeruatur, multis propter ægrotorum, quos ſanitati continuè reddit, multitudinem miraculis inſigne; dum videlicet ex eius tumulo puluerem abradentes, & languentium membris ſuperinducentes, ex templo ſalui, & incolumes efficiuntur. Ibique etiam corpus ſancti Anteceſſoris ſui Simplicij memorant contineri. Eius Natalitia Non. Auguſt. communiter celebrata reperiuntur.

Alius fuit, qui ſub Datiano Hiſpaniarum Præfecto, cum ſeptem decem pijs commilitonibus, quorum nomina diſtincta leguntur in Natali, martyrium legitur ſuſtinuiſſe; eiusque ſolemnia xvi. Calend. Maij ex Martyrologio recoluntur.

Tertius eſt, qui apud Tingim, peruetus oppidū Mauritaniæ, quod Romanorum temporibus Colonia factum, Iulia traducta inde legitur appellatum, paſſus fuiſſe memoratur; cuius corpus longo poſt temporis interuallo Imolam delatum, vbi per plurium annorum curſum ab Imolenſibus in affluentia miraculorum piè admodum cultum

eſt,

eſt, & veneratum. Nec tanti ponderis Reliquiam nunc ſine vlla memoria contumulatam iacere debemus admirari, cum factioſæ diſſenſiones, quæ tam Imolæ, quam in tota etiam Aemylia anteactis temporibus viguerunt; ſic huius vt aliorum etiã in tali genere Theſaurorum memoriæ tenebras offudiſſe perſpiciantur. Et Imolenſes plura inſuper multorum ſanctorum Corpora in Cæmeterio, quod ſancti Protectoris Caſſiani Baſilicam ab Epiſcopali Canonica ſegregat humata contineri veteri prædicant ſe traditione percepiſſe; quorum nomina tamen eadem de cauſa obliterata reticentur. Natalis quidem ſupranominatus hunc ſanctum, quo tempore ipſe viueret, multis in eadem Ciuitate fulſiſſe miraculis eſt auctor non contemnendus, & eius Natalitiorum memoria iij. Non. Decembris in Calendario legitur annotata.

Fuit quartus quidam Presbyter, & Confeſſor, qui à ſancto Gennadio, vt paulò ante ſignificatum eſt, ſanctitatis cauſa commendatur, in multaque ſanctitate, & exemplaris vitæ opinione, imperãte Honorio, vixiſſe prædicatur. Hic à principio alio nomine Ioannes Heremita fuiſſe dicitur appellatus; à ſinu verò Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ propter hæreſes depulſus, mutato nomine, Peregrinus Maſſiliam, quæ in Prouincia Narbonenſi celeberrima Ciuitas, & olim fuit, & nunc eſt, tetendit, ibique duo ſat magnifica Templa, cum Monaſte-

rijs oppido nobilibus, Maribus Alterũ, & alterũ ſœminis, Aedificauit; quæ ſuis etiam tẽporibus floruiſſe idem, qui ſupra Natalis eſt auctor. Multa ſcripſit diuinarum rerum volumina, multas hæreſes oppugnauit, potiſsimumque vij. libros, de Incarnatione Domini, contra Neſtorium Conſtantinopolis Epiſcopum, qui glorioſam Virginem, non diuinæ, ſed humanæ perſonæ Matrem fuiſſe pertinaciter aſſeuerabat, Leonis Primi Pontificis rogatu compoſuit, aliaque ſcripſit, quæ ad numerum ſupra triginta fuiſſe volumina inter Catholicos recenſentur. Denique Maſsiliæ ſcribendi pariter, & vitæ finem fecit: ibique ſepultus in multam à Maſsilienſibus venerationem tenetur. Unde fit, varias, quæ in tali genere habentur, opiniones poſſe difficillimè conciliari; cum eum Baronius, alia nulla tamen, quam Tudertinæ Eccleſiæ auctoritate ſuffultus, Tuderte Martyrium memoret ſuſtinuiſſe, neque Martyrij etiam genus, neque vnde is Tudertem venerit, aut cur ex Epiſcopo Ludimagiſter factus fuerit, aperiẽs, vbi Natalis Maſsiliæ, ac ſine Martyrio eum teſtis eſt deceſsiſſe. Eius Natalitia eo die, quo & ſancti Caſsiani Imolæ Protectoris, in Martyrologio leguntur annotata 1. Idib. Aug.

Quintus denique hic noſter Imolæ Protector eſt, puerorum Præceptor, & exactiſsimus Eruditor; de quo quid in tanta, ſic doctorum, vt ſcriptorum obſcuritate, at certè

quam remotis, tam facile probandis, partibus haurire nobis licuit, qua maiori, & breuitate poterimus, & claritate, aperiemus. Hoc in primis lectorem monitum cupientes, præter alios ſuprapoſitos Caßianos, plures etiã tum ſanctos, tum præſtantes viros in diuerſis auctoribus honeſte ſemper appellatos, inuenies. Sic Caßianum quendam ſcytopolitanum dicit in Tomo VII. Baronius à primis vſque annis in diui Sabbæ diſciplina fuiſſe fideliter educatum, magnumque poſtea Sacerdotem factum, venerabili ſuæ laureæ Præſidem, & Rectorem fuiße conſtitutum, hominem virtute præditum, & ſingulari Doctrina, Religioneque fidelißimum, eum appellando; Item alium, Apophtegmatum ſcriptorem, de quo in Sanctorum Patrum Bibliotheca honeſta fit mentio. Quos omnes cum alijs etiam, maxime à Baronio in Martyrologio, inque Annalibus, vt ſuprapoſitis, breuitati ſtudentes, eße ducimus omittendos. Quod ad noſtrum attinet Brixinæ, in Alemaniæ finibus honeſtißimæ Ciuitatis Epiſcopatum geßiſſe, non eſt qui deneget. Qua de re vel dubitare, vel rationes adprobandum afferre, ſuperfluum eſt, quod longa, & immemori conſuetudine in pictis pariter, & in ſculptis Imaginibus, & in alia qualibet ab Imolenſibus conſeruata, vel manu, vel typis explicata memoria, eiuſdem Brixinæ Ciuitatis Epiſcopus prædicatur; & Natalis, Surius, Baro

nius, & alij denique omnes, de illius vita fortaſſe aliquid memorantes talem eum fuiſſe vnanimes profitentur. Vt facilius autem, quod de geſtis eius præmiſimus intelligatur, tantæ ſuæ paſsionis cauſam in primis proferre contendemus, indeque ad alia ex ordinis antepoſiti obſeruatione procedemus.

Quod ad tantæ igitur acerbitatis cauſam pertinet, ſi ab Agentis operibus menſurandam ſe ſe offerat, noua non eſt; ſi à fortitudine patiētis, nō admirabilis. Ex martyrium miniſtrantis officio noua non eſt, cū impias in bonorum vitā perſecutiones exercere inſolita Tyrannis non ſit conſuetudo; ex patientis etiam conditione non admirabilis, quod ſupra Naturalis Militantis Eccleſiæ ſtipendia profitentium ſemper extitit effectus, duram quamlibet oblatorum cruciatuum ſæuitiam in conſtantiori gaudio ſuperare, ſic, vt teneriores etiam Puellæ in acerrimis præſentium aculeorum tormentis rabidos valuerint ferorum perſecutorum impetus fortiſsime ſuperare. At ſi altera pars in alterius obiectum ponderetur, (t) noua pariter, & mirabilis præſentis martyrij cauſa cognoſceretur; cum alterum in acerbi animi ſæuitiam exacerbandam contendere videatur; alterum verò quidquid veluti peculiare quoddam peculiaris offenſionis dedecus indignè ſibi ſuggeritur, in particularem propriæ dignitatis exaltationem conuertere. Quadere vtrique conſideratio-

ni valde congruum videtur exhiberi, feri tortoris ab altera parte iniquitatem, cum forti patientis triumphatoris ab altera generoſitate comparare; quò ab alterius præſenti notitia clarior etiam alterius reddatur intelligentia. *V*t igitur prædicti Martyrij cauſa prior à Iuliani crudelitate procederet, vnum tantum exactiſſimi omnis antiquitatis indagatoris, Sigonij teſtimonium adducere ſat videtur exiſtimandum, qui in primo Hiſtoriæ Bononienſis libro iniquiſſimam prædictæ Arrianæ obſtinationis defenſionem, à Conſtantio in Ariminenſi Concilio turpiter ſuſceptam ſignificans hæc dicit.

,, Cuius, vt leuius ſcelus videretur, qui ipſum conſequu-
,, tus eſt Iulianus Conſtantij Patruelis, effecit; qui cum
,, non modo à recta, ſed omninò à Chriſtiana fide ſe re-
,, mouiſſet, eouſque aduerſus Chriſtianos odio eſt prouectus,
,, vt Templis Chriſtianæ Plebi ereptis, legem etiam propo-
,, ſuerit, ne Chriſtianis docendi cauſa, ſcholas habere lice-
,, ret. Qua de cauſa Caſſianus ludi magiſter fori Cornelij
,, morte à Quæſitore damnatus, ac pueris, quos erudie-
,, bat, traditus, pugillaribus eorum ſtylis fœde confixus in-
,, terijt. Quæ ſane cauſa tanto minorem in Iuliano phrenè-
ſim debebat excitare, quanto magis ab eius, vel Natura, vel oculis effectus eius legitur abſuiſſe: Quippe qui nec tantæ crudelitatis miniſterio adeſſe poterat, cum, vt paulò poſt aperietur, locorum interuallo disiunctus in id

temporis eſſet, & ijs etiam fuerat doctrinis initiatus, vt nullum in fideles tantæ ſæuitiæ ſpecimen exercere, vel poſſet, vel deberet. Nam, & ante Imperium Neronis quaſi conſultus imitator, adeo fideliter, & ſancte fuiſſe legitur inſtitutus, vt Donati Aretini, qui ad patriæ ſuæ in Hetruria Epiſcopatum poſtea aſſumptus, Martyrij corona decoratus eſt, contubernalis per plures annos fideliſſimus fuerit & ſtudioſiſſimus; ſubque fœlicibus ſancti Pygmenij Presbyteri auſpicijs ad ſacrum Subdiaconatus ordinem vſque euectus. Eouſque vt huius bene compoſitæ ſuæ voluntatis veſtigium aliquod in ipſis principatus initijs fideliter conſeruans, Epiſcopos Arianorum perfidia paulo prius indigne pulſos, in ſibi debitis ſedibus liberaliſſimæ reuocaret, vt Athanaſium in Aegypto, Ilarium in Gallia, Euſebium in Italia, & alios etiam in alijs, vnde fuerant detruſi, vt ſanctus Hieronymus eſt auctor, legitimis Eccleſiarum ſuarum poſſeſſionibus reſtitueret. Quas vniuerſas tamen tam bene compoſiti animi qualitates, mutata poſt modum voluntate, ſic præuertit, vt ingenitam quaſi naturæ benignitatem cum crudeli Chriſtiani Dogmatis perſecutione turpiter obſcuraret; demptis, vt paulo ante ſignificatum eſt, Chriſtianæ Plebi ante conceſsis Eccleſijs, omnique vel conuentu, vel ſynodo, vbi Chriſtianæ fidei rudimenta frequentarentur, minaciter interdicta. Vno tamen Proereſio,

quòd in bonis quibuſcunque Artibus præſtantiſsimum eum ſemper fuerat expertus, vt doctrinæ fidelis dogmata, & prædicare, & ad arbitrium docere poſſet, per particulare priuilegium excepto; qui eius beneficij, quo alios multos præſtantes viros indignè orbatos animaduertebat, liberalitate vti penitus neglexit.

Vt excelſiorem verò poſtea Caſsiani animus in impiã Iuliani crudelitatem, cum inſuperabili patientia; & ſuperandam, & molliendam ſe praberet, inuicta ea fortitudo, qua duce deteſtabilem Idolorum venerationem in ſuæ ſalutis detrimentum, inque ſui Creatoris offenſionem ferocibus minis turpiter obiectam contempſit, apertis admodum indicijs manifeſtat. Quæ actio, vt in multis, ijſque communiter approbatis, auctoribus ad vnguem ſignificata circumfertur, à Surio tamen in huius ſancti Confeſſoris, & Martyris vita præclarius, quam cæteris videtur explicata; qui præcipuam talis martyrij cauſam in patientis conſtantia collocans hæc dicit.

„ *Dum ergo eodem tempore Catholica fides perſecuto-*
„ *rum tempeſtate laboraret, Beatus Caſsianus eſt produ-*
„ *ctus ad medium, vt potè, qui cum perſecutoribus colere*
„ *impia ſacra noluiſſet, licet ab Epodis Prudentij hanc tanti ponderis auctoritatem Surius deduxiſſe cognoſcatur, qui paulominus, quam oculatus teſtis, hæc in eo deſignando fideliſsime ſcripſit.*

Extra-

" Extrahitur cœtu e medio moderator Alumni
" Gregis, quod Aris ſupplicare ſpreuerat.

Unde colligi certa videtur poſſe concluſio tam fera contra Chriſti famulum crudelitatis cauſam, partim ab effera ipſa Iuliani ſæuitia proceſsiſſe, partimque ab immobili ſancti Confeſſoris aras eas non venerandi propoſito, in quibus nil, niſi manufacta ſimulacra, in Chriſtianæ Reipublicæ dedecus, & in ea venerantium perniciem, coli penitus animaduertebat.

Quod verò etiam ad eius tẽporis, in quo paſſus videtur hic Chriſti miles, inueſtigationem ſpectat, tam diuerſas circumferri ſententias negari non poteſt, quam diuerſa eſt tum inter veteres, tum inter recentiores etiam Chronologos ex diuerſis faſtis ſupputatio: Quas omnes tamen diuini fauoris aura ſubſidium miniſtrante, ad clariorem, qua fieri poterit, certitudinem transferre laborabimus; quo non minor ipſi Martyri, ac Triumphatori Caßiano gloria rependatur, quam Imolenſi Populo, tam puro affectu, adeoque conſtanti religione illum veneranti antiquum priſcæ pietatis ſtudium confirmetur. Qui ergo Platinæ auctoritatem ſibi ducem proponunt, martyrium hoc ſub Damaſo Pontifice aſſeuerant contigiſſe. Non quia is libere id affirmet, aut claris etiam verbis patefaciat, ſed quòd Iulianum ſub Damaſi Pontificatu exiſtimans imperaſſe, id vlla ſine

dubita-

dubitatione videtur affirmare; quod dum credit, multis poſt annis id factum eſſe argumentatur, quod multis ante contigiſſe probari facilè poteſt, vt hæc attentè obſeruantibus paulo infra licebit intelligere. Nec deſunt pariter, qui, Gratiano Imperante, fuiſſe hæc firma teneant opinione perpetratum, vt in manuſcriptis Philippi Saxi hiſtorijs legi poteſt, nonnullas, in rem noſtram potius ſuperfluas, quã neceſſarias, aut veras rationes adducentis. Quoniam verò ad XIII. vſque Damaſi Pontificis annum hæc transfert, quo tempore Gratianus ad Imperium legitur aſcendiſſe, hanc etiam opinionem, vt parum probabilem, eſſe credimus omittendam, vt apertè animaduertit, qui Ioannem Lucidum de emendationibus temporum euoluet. Sunt alij quoque, qui in factorum diuerſitate forſitan hallucinati, factum aliud alio tempore crediderunt, quod cautius aliquanto penetratum, & ab eorum propoſito, & à quacunque etiam veritatis regula remotum penitus perſpicietur, vt à multis de ſancti huius Martyris vita hinc inde habitis monumentis, quæ in hac Ciuitate non minus publicè, quàm priuatim circumferuntur, comprehendi facile poteſt. Quæ vniuerſa tamen, quod breuitati cum præcipua cogitatione ſtudemus, nunc eſſe credimus paruipendẽda. Multò certiorẽ vlla ſine comparatione illorum ſententiam iudicantes, qui Martyrium hoc in quinto Li-

berij

berij Ponti. propter Archidiaconi ſui fœlicis iniquiſsimũ ſchiſma nondũ pulſi, anno iudicant eueniſſe, qui vltimus CCLXXXIV. Olympiadis, primuſq; Iuliani Apoſtatæ in Imperio fuit annus. Primũ quod S. Dei Sedes Eccleſia pauco illo temporis interuallo, quo Iulianus Imperauit, quod Alphonſo Ciaconio cum Amiani in XVI. libro auctoritate id ſignificante, non vltra quartum annum eſt prouectum; licet alij, vt Lucidus, & illi omnes, quos ille ſequitur, multo breuius id aſſerant extitiſſe, acerbiſſimis iniquarum perſecutionum procellis iterum fuit afflictata, cum tamen ſub eius anteceſſore Conſtantio, vel tranquilla fuiſſet, vel parum admodum ſolicitata, Catholica tunc, vt Sanctus Auguſtinus contra Maximinum teſtatur, fide præualente; quamuis aliquantulum denique, vt ex B. Sulpitij Eccleſiaſtica hiſtoria fit perſpicuum, tum propter Luciferianorum ſchiſma, tum propter hæreſim Priſcilianiſtarum, diuexata. Poſtea quod à Carolo Sigonio, qui tres ipſas principes Mundi Reſpublicas, quam doctis, tam æternis monumentis illuſtrauit, Hæbream S. Hiſtoriam, Eccleſiaſticam ſancti fœl. Rec. Gregorij XIII. Pontificis mandato, ad recentiora vſque tempora perſcribendo, & nobilibus Beatũ Sulpitium commentarijs illuſtrando; Græcam de Athenienſium, & Lacedæmoniorum temporibus illuſtres faſtos componendo; & latinam denique antiqua tum Romæ,

tum Italiæ totius iura dilucidando, in ſuis antedictis hiſtorijs habetur, Chiſtiani dogmatis exercendi facultatem à Iuliano interdictam, vt nouos etiam non expectatarum perſecutionum furores ſancta fides iterum ſubire cogeretur, præcipuam cauſam extitiße: in aſpera quarum executione ſancti plures, atque inter hos etiam glorioſiſsimus hic noſter Confeſſor Caßianus per id tempus acerbißimis ſupplicijs damnati fuiſſe leguntur, & affecti. Quæ omnia in veritatis compendium copulata clarè inferunt ſancti Caßiani Martyrium, quod ad temporis conſiderationem ſpectat in quinto Liberij Pontificatus anno, in CCLXXXIV. Olymp. adis finem, & in primo Iuliani Apoſtatæ Imperatoris, qui ſalutis Vniuerſalis CCCLXI. fuit, contigiſſe, & in quo denique S. Antonius Abbas Aegyptius duobus ad ſe Monachis, iam per quindecim annos fidelem ſibi obedientiam reddentibus euocatis, ac ſalutaribus præceptis paterno amore diligenter imbutis, prædicta ſibi morte propinqua, ad Cælum legitur euolaſſe.

Tertia noſtræ narrationis fuerat propoſitio, illius rationem ſupplicij, quo hic ſanctus Dei Martyr affectus eſt, conſiderare; quæ vt à crudeli & effero animo proceſceßit, ſic crudelis, & effera fuiſſe debet exiſtimari. Ideoque partim à veſana, & abrupta in eum condemnando ſententia, partimque ab efferis in eum puniendo effecti-

bus eius videtur notitia deriuanda. Qui furor, vel quæ potius in immeritum ſæuiendi cupiditas inſaturata, vt ab alijs apertè ſignificatur, multo præclarius tamē, ac forte etiam diſtinctius in locum Surij ſuperius allegatum cognoſcitur explicata; vbi in eo, quod cœperat, perſeuerās hæc ſubdit; Statim ergo à perſecutore, quem ſpreuerat, ipſis pueris, quos in ſe exaſperauerat caſtigando, per ſententiam animi furentis addictus eſt, vt in magiſtri ſanguine cum corporis laceratione ſæuirent. Ne verò tam feri huiuſce miniſterij executorem, vel tam præcipitis auctorem ſententiæ fuiſſe Iulianum falſo aliquis vaticinetur, duo præ cæteris in parte hac ſe ſe offerunt examinanda. Alterū in quibus tunc finibus ipſe detineretur, cum non modo in Aemilia, ſed nec omnino in Italia fuiße tunc probari facile poßit. Alterum ſi Iulianus non fuit, quinam, vel perſecutor, vt à Surio dicitur, vel quæſitor, vt appellatur à Sigonio, tantæ crudelitatis eſſe potuit executor? Quod ad primum, pro certo eſt exiſtimandum, varios variorum bellorum furores, & in remotißimis extra Italiam regionibus, & in illa etiam nouitate Regni feruenter excitatos ipſius Imperatoris conſpectum, vel multis quidem de cauſis, vel ad ſubditos potißimum in noui Imperij obedientia retinendos ex neceſſitate quæſiuiſſe. Idque mirifici cuiuſdam facti, quod in Platinæ de Pontificibus libro legitur, & à Baronio

repetitur

repetitur, confirmat enarratio: Iulianum. ſ. cum Idolo Apollinis propè fontem Caſtalium in Antiochia ſacrificaret, nec multa etiam victimarum cæde congeminata, reddi ſibi reſponſa, quæ reddi ſolebant, animaduerteret à Magis, quorum doctrinæ vehementer inhærebat, inuſitatum hoc ſilentium à Chriſtianæ cuiuſdam Martyris Babellæ, quæ paulò antè martyrium paſſa ibi fuerat contumulata, impedimento prouenire, fuiſſe commonefactum; Qua de re Chriſtianis, vt inde martyrem pariter, & ſepulchrum aſportarent, per edictum compulſis, è veſtigio, quæ cupiebat, reſponſa retuliſſe. Quod ſi eſt, morantem igitur in Antiochia Beati martyris Caſsiani cruciatibus adfuiſſe non eſt credendum. Secundi verò certitudo à ſuperius poſiti miraculi progreſsibus cognoſcetur; neque enim ex parte aliqua lenitus, vt æquum erat, ſed vehementiori etiam ira concitatus Iulianus, eoque magis, quod gaudium Chriſtianorum in aſportandis Sancti Martyris Reliquijs cognoſcebat, qui multis in martyrij laudibus, & illis præcipuè Prophetæ verbis, Confundantur, omnes, qui a-
"
dorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimularis ſuis,
"
glorioſiſsime triumphabant, ex ijs, qui aderant, Chriſti fidelibus magnum numerum iurauit interimendum, Templo etiam Hieroſolymarum, & auxilio ad eius in opprobrium fidei reædificationem, Iudæis conceſſo; li-

eet, vt colligimus ex Fulgoſo, huiuſcemodi reædificatiò non procederet; quod Philippo Antiocheno curæ talis Præſide conſtituto, readificationis fundamenta iam collocante, ſic horribiles è terræ viſceribus mugitus vlularunt, & tales etiam igniti præter ſolitum vapores fuerunt excitati, vt quantum fuerat pro tali reædificatione materiæ comparatum, ad ipſa vſque ferramenta, conſumeretur; Crucibus præterea ſuper multorum veſtes ſic tenaciter impreſsis, vt nulla inde poſſent ratione dimoueri. In abſentes verò illam, quæ multis iam partibus indicata eſt, per Imperiales miniſtros crudelitatem mandauit exerceri. Qui verò impius eius fuerit executor, niſi altior paulo eiuſmodi repetatur intelligentia, ægrè poterit inueſtigari. In occidentali igitur Imperio, ipſis ita volentibus Imperatoribus, duo Pretorij Præſides olim leguntur extitiſſe; Alter, qui Italiæ, Alter, qui Galliarum, Præfectuss appellabatur. Quoniam verò Tauri cuiuſdam, per ea tempora præclaras fere omnes in Italia functiones exercentis, meminit Marcellinus, & S. inſuper Hieronymus hunc Ariminenſi Arriano Concilio fuiſſe Præſidem atteſtatur, quod biennio antè, 1. CCCLIX. cum vniuerſali etiam Orthodoxorum Patrum ſubſcriptione factum fuerat, & concluſum, errore poſt paulum aperiendo, aliqui hunc Taurum crudelis tantæ perſecutionis Iuliani mandato exe-

cutorem fuiſſe crediderunt, & conſequenter etiam glorioſum hunc Chriſti militem Caſsianum ad Martyrium ab hoc fuiſſe deſtinatum, eoque magis, quod Valens Murſenſis Epiſcopus à verbo ὁμοιούσιον, quod Arriani pro ſacræ Nicenæ Synodi ὁμοούσιον, adulterino, & decipienti vocabulo, ſuppoſuerant, quo filij cum Patre Conſubſtantialitas oſtendebatur, quæ ab Arrianis negabatur, cum alijs deceptum ſe cognoſcens, & quod veritati fidelium repugnabat, in concluſione Concilij ſubſcripſiſſe, ante hunc Taurum, nulloſe pacto Arrianum eſſe velle, fuerat obteſtatus. Quia verò hic biennio poſt. I. CCC. LXI. qui fuit annus Martyrij noſtri Confeſſoris Caſsiani, Conſul fuiſſe legitur, conſultata propter curatam vniuerſalem, vt iam dictum eſt, in Ariminenſi Concilio ſubſcriptionem, à Conſtantio præcedenti promiſsione communicato, poſſe etiam facile videmur argumentari, hunc eo tempore non fuiße Præfectum, & conſequenter etiam huic Martyrio adeſſe non potuiſſe. Probabiliorem ſanè Philippi Saxi eſſe credimus opinionem, in manuſcriptis ſuis Imolæ hiſtorijs pro certò affirmantis, Ciuitates tunc temporis perſecutionem patientes, Aiſtulpho Iuliani tunc in Italia Præfecto, vexationem ſuſtinuiſſe, cum veriſimile ſeſe offerat, translato à Conſtantio ad Iulianum Imperio, & Præfecturam quoque à Tauro ad Aiſtulphum fuiſſe tranſlatam, ſicut-

que Imperij miniſtros, dum in humanis ageret, ſibi delegerat Conſtantius, ità & Iulianum, mutatis prioribus, recentiores alios, ad arbitrium ſibi reſpondentes miniſtros elegiſſe. Hic igitur Aiſtulphus in Catholicæ fidei profeſſores deſæuiens, & in eorum, quantum poterat, euulſione contendens, primo vniuerſas Inſubriæ Ciuitates inimico animo eſt aggreſſus, indeque alia quælibet Apoſtolicæ Sedi, quæ Romæ, vt nunc etiam viget, ſemperque vigebit, fidiſſime conſeruabatur, propinquiora loca ſubuertere tentans, quemcunque vel Cathecuminos erudientem, vel Chriſtiani dogmatis Articulos contra Imperatoris edicta prædicantem audiebat, vel docentem, cum varijs, & inauditis cruciatuum ſeueriſſimorum generibus enecabat. Quouſque ad forum Syllæ perueniens, quod Imola poſt paulò fuit appellatum, in incolas, qui ſancti Caſſiani Prædicationibus, & doctrina in fide fuerant immutabiliter confirmati, ſui rabiem furoris tentauit ex ſaturare; at fruſtra, ab ijs enim conſtantibus animis expulſus eſt, & portarum etiam clauſtris in occurrentem fortiter obiectis, abſque vlla imminentis periculi militaris formidine deturbatus. Qua de re grauioribus indignationis ſtimulis agitatus, maiori, quam potuit, armorum, & copiarum furore comparato, omiſſam paulo ante murorum euerſionem eſt aggreſſus, vt quod à Syllanis, neque vlla militaris

Iuris

Iuris auctoritate, neque vlla propoſitæ vllius deditionis conditione potuerat obtinere, armorum potentia conſequi periclitaretur; id eſt, vt rabidi more lupi, recte compoſitum Imolenſis Gregis ouile, quòd in Syllanorum murorum ambitu Caſsiano Paſtore fideliter cuſtodiebatur, ferociori animo perturbaret. In quo præſenti periculo, non ſolùm non depreſſus; vt ex euentu patuit, ſed multo etiam magis excitatus robuſtiſsimus Chriſti miles ad eam murorum partem, quæ faciliorem opprimenti patefaciebat ingreſſum, appropinquans, nunc humilibus, & nunc minacibus, vt rei præſentis qualitas exigebat; in eum verbis inſurgens, à pertinaci, & muros, iam paulominus, quam ſuperatos, euertendi, & conſtantes etiam fidelis oppidi habitatores trucidandi, propoſito diuino quaſi conſilio, eum deturbauit. Quæ actio quòd aliam nullam, niſi diuinæ operationis imaginem præſetuliſſe perſpecta eſt, ab Imolenſibus magni loco miraculi habita fuit, & celebrata; dignaque, vt non præſenti ſolùm veneratione coleretur, ſed Aeterna quoque apud poſteros memoria repeteretur; vt, & viua traditione in poſteritatis animis eſt ſemper renouata, & infuſa tenaciter conſeruatur. Hocque tum Picturarum in ſubterranea cathedralis Eccleſiæ parte conſeruatarum teſtimonium, vbi tam veteres, quam Recentiores auctores prædicti Martyris Caſsiani corpus,

cum alijs multis apprebatorum ſanctorum corporibus memorant conſeruari; tum Philippi Saxi monumenta manuſcripta, qui hæc aſſerens in bonis ſcriptoribus ſe comperiſſe dicit, fideliter atteſtantur.

Vt verò ad Aiſtulphi perſecutionem reuertamur breuis admodum bona recti ſui in Chriſtianos animi diſpoſitio fuit, neque enim exercitæ ſuæ militari more in fidelem Populum crudelitatis pertæſus adhuc, terrore illo, quem ſibi veneranda Caſſiani Maieſtas paulo ante incuſſerat, obliterato, noua iterum fidele Oppidum cœpit obſidione torquere, inque Catholicum eius, iam capti Ouile hoſtiliter penetrans, incolas, iniqua cultum Idolatriæ præcipiens, quantum potuit, à vera Chriſti Religione contendit amouere: poſitoque vniuerſali Edicto Chriſtianos omnes, vel mutata voluntate Idolis communibus immolare, vel abſque mora, nullo remiſſionis pietatis obſtaculo, mandauit enecari. Sed nullo etiam adhuc effectu contingente, neque enim, vel minis, vel vocibus, Chriſti miles Caſſianus perterrefactus, at lætitia potius exultans, quam formidine languens, hanc feruentibus votis optatam pro illo moriendi opportunitatem eſſe iudicans, qui non multis ante ſæculis, Crucis morti pro ſalute vniuerſali ſe dederat, quibuslibet propoſitorum cruciatuum generibus inuicta ſeſe obtulit alacritate; quippe animi plane certus, eam nulla ratione fi-

dem

dem deſerendi, in cuius dogmata ipſe fideliter educatus, dilectum ſibi Syllanum Populum ſedulò cōtenderat educare; ſic in Deum conſtanter exultans, & efficaces diuinæ Maieſtati gratias agens, quòd per hæc latiſsima ſibi ad fidelis Populi ſalutem pariter, & exemplum, ſemita proſterneretur, nunc iniquis perſecutoribus mendacia illa, quæ in falſam Idolorum adorationem ſopitos eos detinebant, obijciens, nuncque fideles in arte à ſe prædicatis Chriſtianæ diſciplinæ articulis confirmans, maiores continuo cōtra illorum ſæuitiam ſibi ſpiritus aſſumebat, quouſque agnitæ in Chriſti famulo conſtantiæ, haud poſſe vlterius reſiſtere ferus iudicans executor, nec ſanctas eius prædicationes vllo terrore impediri, in tenebroſum iuſſit ergaſtulum coërceri; lege inſuper cuſtodi aſpere præſtituta, ne cibo aliquo ad naturale nutrimentum neceſſario, illum pœnitus adiuuaret; quo, vel inediæ ſtimulis agitatus diuerſas à primis cogitationes iniret, vel languoris imbecillitate confectus in clauſtris ijs, in quæ fuerat, nec inuita, nec repugnante natura, cōtruſus, moreretur. Cæterum diuina illa prouidentia, quæ humanis non penetranda cogitationibus idētidem operatur, altiori ſpiritus afflatu per illud temporis interuallū, quo in cathenis detentus eſt, ſic eum ſuſtentauit, vt cuſtode ipſo per totos quindecim dies eum non vidente; nec aliquid ad Naturalis conſeruationis opem conueniens, afferente

non viuus ſolum, ſed multo etiam robuſtior, quàm antè clauſtrorum catenas fuerat, inueniretur. Quo tanto tamen prodigio non depreſſus, imò Pharaonis quaſi duritiem conſectatus impius Inquiſitor diuinæ poteſtatis miraculis obdureſcens, magiciſque fallacijs, quod à cœleſtibus diuinæ prouidentiæ influxibus emanabat, pertinaciter adſcribens, in ſuum ſtatim iuſſit conſpectũ præſentari; & quo vitam artificio ſuſtentare ſolitus eſſet, interrogatum, vt eruditionem puerorum artificium ſibi eſſe audiuit, ijs pueris, quos ipſe aliquando forſitan per verbera in ſe concitauerat, iniquiſſima ſententia, marmorea iuſſum columnæ deligari, tradidit lacerandum; Qui, tum odio illo, quo eruditores adoleſcentia naturaliter proſequitur, tum præſenti etiam miniſtrantis Tyranni formidine concitati, gladiolis, & pugillaribus ſtylis ijs, qui ad caracteres in ceratis tabulis formandos adhibebantur, quos Graphios communi vocabulo appellabant, eius generis, quo Cæſar vni ex coniuratis Caſia brachium moriendo transfodit, cum acerbiſſimis eum cruciatibus dilacerarunt. Quod à Prudentio, fidè admodum, vt cætera in hiſce paucis carminibus indicatur.

» Pœnarum artifici quærenti, quod genus Artis
» Vir noſſet alto tum rebelli ſpiritu
» Reſpōdet agmen tenerum, & puerilíe gubernat

Fictis notare verba ſignis imbuens
» Ducite, conclamat captiuum, ducite, & vltro
» Donetur ipſis verberator paruulis.
» *Acerbum autem hoc Graphiorum, ſiue Stylorum, ſupplicium tantum erat, vt à paucis admodum, iiſque etiam crudeliſsimis Tyrannis adhibitum fuiſſe reperiatur. In cuius crudelitatis deteſtationem ſat eſſet Caligulam eius inuentorem prædicare, cum ſenatorem odio habitum vlciſci volens, confodi Graphijs eum imperauit, ni & Nero in Erixonem equitem Romanum, & Galba etiam quandoque illud repetendo, tantæ ſuæ deteſtationis probatiſsimi teſtes haberentur; vt Beroaldus in Annotationibus, & Baronius in Martyrologio doctè admodum obſeruarunt. Hocque ità fero ſupplicij genere confoſſus Beatus Caſsianus, accepta ſic vehementer affectati Martyrij Corona, de ſuis occiſoribus triumphans in Cœlum fœliciter euolauit; vbi æterna in lætum ſemper ſummi Dei conſpectum tranquillitate potitur.*

Quarta fuit, eaque nouiſsima noſtræ propoſitionis conſideratio, locum, vbi effectum tantæ in sãctum Martyrem crudelitatis executio ſortiretur, inueſtigare, in quo, licet particularem orbis ipſius, vbi iſta contigerunt, circumferentiam ità exhibere, vt penè manu tangi poſsit, difficile ſe ſe offerat, quod videlicet forum illud in plures

angulos, tunc diuiſum fuiſſe probari facile poſſit, quod in vnum poſtea legitimæ Politiæ corpus, vt nunc eſt, redactum fuiſſe cognoſcatur, hæc tamen ex omnium, qui hanc materiam ſcriptis amplexi ſunt, auctoritate apud forum Syllæ, quæ non multo poſt Imola cœpta eſt appellari, facta eſſe pro certò poſſumus affirmare. Neque ad arctiorem nos etiam narrationis legem reſtringētes, hallucinari arbitraremur, ſi locum, vbi nunc Martyrij Columna extrà oppidum reſeruatur, locum ipſum, vbi ſanctus Caſſianus confoſſus eſt, eſſe liberius affirmaremus. Primum, quia in ea, quæ ſuperius adducta eſt, Philippi Saxi hiſtoria, non parua id credendi ſuppeditatur occaſio, quam tamen ipſum ab alio, quā propriæ imaginationis, fonte neceſſarium eſt deduxiſſe, cum in alijs multis, quas memorat, actionibus veridicus fuiſſe cognoſcatur. Poſtea, quod hanc, quam dicimus Martyrij Columnam, ideò ità eſſe memorat appellatam, quod ab aratore quodam, agros illos, vt fit, ſeminante, haud longo poſt memorabile illud Martyrium tempore, ibidem inuenta, & viſa etiā in clarius facti teſtimonium ſtylis ſanguinis ſuperinfuſa, in eam ſemper ab Imolenſibus habita eſt opinionem, & poſteritatieriam per immemorē traditionem prædicata. Denique, quod quæ ſuperius de apparentibus adhuc etiam in eo limite parietinis enarrata ſunt, præcipueque ſupra Cappucinorum Fratrum Eccleſiā nouiſſimè ree-

dificatam, alia ibi, quam priuatorum hominum domicilia, fuiſſe argumentantur. Quare, cum quod longa prædicant incolæ traditione, & inculta etiam rudera manifeſtant, credi poſſit, eam ſ. antiqui fori partem non modicam extitiſſe, affirmare quoque in opportunum non erit, reos ad ſupplicium deſtinatos, extra Pomerium; quod noſtra etiam memoria vidimus in hanc Ciuitatem obſeruari, ad pœnarum executionem fuiſſe productos. quod totum tamen, quando etiam per coniecturam ſit credendum, ſic veriſimilem coniecturæ opinionem relinquit, vt & credi ſuperius dicta, & non difficulter etiam probari poſſe animaduertatur. Iudicioſi tamen lectoris auctoritati hoc integrum reſeruetur. Nos in hac re vehementius nobis conducturum iudicamus, benignam eam qua Syllani incolæ peregrinũ ad ſe venientẽ Caſſianum receperunt, caritatẽ demonſtrare, quam difficilem orbis eius circumferentiam, quærere, qui vel inueniri penitus non poteſt, vel ab antiquis, vt ſuperius dictum eſt, parietinis, & ab inculta ruderum copia, fortaſſe veriſſimè coniectari. Vtrum autem hic locus, præter cætera ex Alemaniæ finibus adhunc vſq. Italiæ vmbilicum, peragrata loca, à Sancto Præſule diuinæ diſpoſitionis afflatu eligeretur, an propriæ voluntatis electione teneretur, incertum penitus ſe ſe offert. Hoc eſt omnino manifeſtum, Epiſcopis multis ſede pulſis, & amiſſo quaſi Duce incertè pe-

regrinantibus, vnum Syllæ forum aduenienti Caſsiano benigniſsimè patuiſſe, & cæteris orbis quaſi totius regionibus Arrianæ peſtis contagio delibutis, obſtantibus etiam pluribus in Arianorum fauorem hincindè celebratis Concilijs, vt Sardicenſi in Datia Arelatenſi in Vienna Prouincia, Bitenenſi in Gallia Narbonenſi, & alijs etiam, quæ à Beato Sulpitio, à Solomene, & ab alijs multis rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus enarrantur, Syllanis prædicante fidem Caſsiano fidelem ſemper operam præſtitiſſe, cum cæteri ferè omnes fideles Epiſcopi, vel Arrianæ iniquitati ſubſcribere cogerentur, vel Mundum ad meliorem temporis, & accidentium curſum, peragrare. vnde honeſtum Caſsiano, cum Ciuitate Imolæ, atque Imolæ cum Caſsiano, certamen excitatur, pluſne Caſsiano Imola, per eius prædicationes in fidem conſtanter conſeruata ſit deuincta, an Imolæ Caſsianus, in tot periculis, vt in tranquillum ſecuritatis portum per humaniter acceptus, debere, ſit iudicandus. Id quidem mirabile apud Iſidorum, de Viris Illuſtribus, legitur, Oſium Cordubæ Epiſcopum, de quo ſuperius etiam meminimus, qui tot pro ſancta Dei Eccleſia perſecutionibus obſliterat, centeſimum iam primum vitæ annum agentem, rebellem eſſe factum; cumque Concilium Nicenum auctoritate ſua propè confeciſſet, Sardicenſi quoque egregiam operā præſtitiſſet, & acerrimis in Ca-

tholicorum

tholicorum militia ſtipendijs meruiſſet, verberibus denique compulſum, & male habitum Arrianæ formulæ deſperatione coactum ſubſcripſiſſe; & in Hiſpania ſubſtātiæ ſimilitudinem docuiſſe. quo factum eſt, vt dum regalu quaſi Imperij, ne ab Iſidori verbis recedamus, ſententiam conaretur exprimere, os verterit, diſtorquens pariter & ceruicem, & de ſeſſu in terram eliſus, illicò expirarit; ſed Oſium, & cæteros, vel vagantes, vel rebelles Epiſcopos relinquamus, & Caſsiani ad Syllaforum accedentis, progreſſus, vt cæptum iam fuerat, indagemus. Hic ad Romana Principis Apoſtolorum limina ſe recipiens, faciliorem etiam, & meliorem apud hoc forum cōſiſtendi oblatam ſibi eſſe credidit occaſionem, quod, nec Romæ quoque illa, quæ peregrè proficiſcens quærebet, & quibus, in humanis agens, indigebat, auxilia certus erat inuenire; cum, & Iulius eius nominis Papa primus, propter eandem Arrianorum potentiam, Conſtantij fauore plus æquo tumeſcentem ex legitima ſui Pontificatus ſede repulſus audiretur, et alia multa huius generis ad ſchiſmaticorum potius. Imperatorum arbitrium, quam ad benè compoſitorum Pontificum auctoritatem miniſtrata referrentur. In hoc ergo foro ſanctus reſidens Caſsianus, ne Deo ſe ducenti, ſeruus inutilis appareret, vel Syllanis tam bene de ſe meritis ingratus haberetur, bonas literas, quodque illorum hominum tunc temporis vehementius

intere-

intererat, Chriſtianæ dogmata doctrinæ, indigenarum pueros aggreſſus eſt edocere. Quamuis ex Prudentij verbis non dubiè colligere videamur, doctrinam à Sancto illo Præſule diſſeminatam, vel quod facilius ad propoſitum Chriſtiani dogmatis infundendi conſilium poſſe crederet peruenire, vel quod Imperiales fortè miniſtros in parte aliqua formidaret, Ziphrarum doctrinam extitiſſe. ità enim Prudentij ſuperius dicti verba videntur inferre.

» Verba notis breuibus comprendere cuncta
peritus
» Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi.

Et illud etiam, quod ſuperius Artifici pœnarũ de Caſſiani artificio quærenti reſponſum eſſe diximus.

» Fictis notare verba ſignis imbuens.

Quam opinionem vſus etiam tunc magnopere frequentati confirmat auctoritas; quam Petrus Bembus teſtis vlla ſine exceptione probandus, in ſua quadam ad Iulium
» *Secundum latinè ſcripta epiſtola viſus eſt recenſere ſic e-*
» *nim ait, Prudentius verò Caſſianum Martyrem in lu-*
» *do literario pueros etiã eas notas docuiſſe memoriæ pro-*
» *didit epodo carmine, quod de eius morte conſcripſit.*

Hancque per notas occultius aliquid ſignificandi doctrinam multis ante annis à M. Tullio Cicerone eloquentiſſimo Oratore principium deduxiſſe, idem ibidem

eſt auctor. qui punctis quibuſdam ſiue Zyphris, plurium literarum pluriumque vocum in vno tantum elementari charactere ſignificationem comprehẽdentibus, iudicioſè compertis, librarios ſuos, qui ab illis Notis Notarij poſt modum ſunt appellati, ſic diligenter exercebat, vt in paucis notis multa nomina, & multas etiam ſententias, vel integras potius orationes, prolixo alibi ſermone proferendas, vt ab ipſo Cicerone, & ab alijs æui eius facundis oratoribus, quandoque habitas, tuto comprehenderent, tenaciterque conſeruarẽt. Licet in Beroaldi ſuper Cæſarem Dictatorem Suetonij Annotationibus hæc verba diuerſam in parte aliqua ſententiam videantur exhibere. Extant, & ad Ciceronem, & ad familiares domeſticis de rebus Epiſtolæ, in quibus, ſi qua occultius proferenda erant, per Notas ſcripſit; vnde colligi abſque dubio poſſe arbitramur, Cæſarem potius, quam Ciceronem per Notas occulta ſcribendi auctorẽ extitiſſe. Ni Euſebij potius auctoritatem ſectari delectemur, qui nec Ciceronem, nec Cæſarem, ſed Tirenem Ciceronis libertum, eius doctrinæ aſſerit inuentorem. De quibus multo plura in A. Gelio libro 17. cap. 19. doctè aſſerta repeͤriuntur: haſque Zephyras communi vocabulo fuiſſe dictas, auctor idem eſt Beroaldus. De Notis iſtis etiam Martialis videtur meminiſſe; Auſoniuſque Notarium ſuum magnis laudibus extollit, quod in paucis Notis,

& in breuibus punctis, prolixos politicorum ſermonum tractatus comprehendere non ignoraret; quæ vniuerſa clarum ſatis reddere teſtimonium poßunt; ſi ſanctum Caßianum Syllanorũ pueros in Zephyrarum, ſiue Ziphrarum doctrinam dicimus erudiuiſſe, non videri opinionem noſtram penitus abnuendam. Inque hoc docendi munere conſtanter legitur perſeueraſſe, quouſque à Iuliani Quæſitore inde remotus eſt, & violenter abstractus, vt in antecedenti capite prolixius eſt indicatum.

Hoc inſuper, in antedictis Philippi Saxi monumentis legimus annotatum, ex Beati Caßiani tortoribus audacem quendam præ cæteris adoleſcentem, lingua ex ore protracta, in Sanctum Martyrem deformi geſtu, & cachinnationibus, inſultãtem, alijs feri miniſterij conſortibus inſpicientibus, improuiſa fuiſſe morte correptum quouſque à genitoribus, qui aderãt, iam expiranti Caſſiano commendatus, ad priſtinam vitæ fuit conditionem miſericorditer reuocatus. Hocque tertium ex illis, quæ de Sancto Martyre hoc in tam recondita geſtorum memoria nobis licuit expiſcari, miraculis eſt numeratum. Quamuis ſupra quodlibet miraculum, haud multis poſt eius mortem præcurrentibus annis, Syllanæ Ciuitatis in Sanctum Martyrem affectum, & Religionem Petri Griſologi adaugeret auctoritas; fuit hic Imolenſis Ciuis, & in patria ſua per Sanctum Cornelium eius Epiſco-

pum in adoleſcentiæ florem fideliter educatus, ob eamque educationem in Chriſti fide ſic profecit, vt, vacante Rauennatis Archiepiſcopatus ſede, hic diuina à Sancto Petro Apoſtolo, ſanctoque Apollinare, Sixto III. Pontifice Maximo data, inſpiratione, in eam eligi ſedem mereretur; in qua per plures annos laudabiliter viuens doctrina ſanctitate, ac miraculis inſigniter floruit. Morte autem propinqua diuina ſibi reuelatione patefacta, Imolam perrexit, ſanctique Martyris Caßiani Ara, in miris pia ſanctæque Religionibus affectibus, inuiſa, Chriſti paßionem in Caßiani paßione contemplans fæliciter expirauit; quod fuit, vt à Natali in eius vita fideliter obſeruatur. IV. Non. Decembris, ibique ſepultus, cultus eius, qui ab Imolenſibus ad Sacra amborum corpora quotannis immutabiliter exhibetur, particeps factus, annua cum ſanctis alijs ibidem ſepultis, præcipueque cum venerandis Proiecti, Maurelij, ac Donati corporibus, repetitione, illa eadem die, qua obdormiuit in Domino, ſolemniter veneratur, corpus sãcti huius noſtri Martyris in eo, in quo antiquitus tumulatũ eſt, buſto conditum, non mouetur; at eius ſi quidem totum brachium in argentea Thonſa, auro, & gemmis circumlita, venerabiliter conſeruatum frequenti Cleri totius, & Ciuium caterua concomitante, ad locum, vbi Martyrij Columna veneratur,

quotannis in Natalitiorum eius Vigilia ſolemni admodum pompa circumfertur. Quem tantæ in ſanctum Martyrem, tamque piæ Religionis affectum, cum Illuſtriſs. & Reuerendiſsimus Dominus D. Ioannes Garzia Cardinalis Mellinus inſpexiſſet, viſa inſuper, non abſque admiratione, Sancti Petri Griſologi Patena, quæ in Cathedrali Eccleſia Imolæ, ad venenatos rabidorum Canum morſus ſanandos efficaciſsima conſeruatur, tanto pietatis ſtudio concitatus eſt, vt duobus in amborum ſanctorum gloriam ſignis argento ſolido dædala manu fabrefactis, ad cognitam Imolenſium Religionem confirmandam, prædictam Cathedralem benigniſſimè locupletarit: munere inſuper cum alijs, Vt numero plurimis, ſic magnificentia honeſtiſsimis, Eccleſiaſticorum Indumentorum ſupellectilibus adaucto; quæ omnia in maioribus quibuslibet ſolemnitatibus, ad ſanctorum, adque perennem tantæ liberalitatis memoriam, iuxta ritus in Eccleſia ſolitos, adhibentur; ſignis etiam in conſpectu Populi Aræ Maximæ, vt occaſio poſtulat, ad decori magnificentiam, ſuper impoſitis, Columnam denique illam, quam Martyrij Columnam diximus appellari, ab Vrbe in occidentem quingentis circa paſsibus diſtantem, in ipſa Aemylia piè admodum conſeruant, Imolenſes; Quæ, quod in vetuſtiſsimo condita Sacello Crucem habeat ſuperimpoſitam, Crux cooperta commu-

ni vocabulo nuncupatur. Hic locus ille eſt, ad quem frequentem Cleri, & Populi concurſũ quotannis in Natalitiorum Sancti Caſsiani vigilia ſuperius dictũ eſt ſolemni pompa conuenire; & Columna illa, cui alligatum ſanctum Martyrem Martyrij acerbitatem memorant ſuſtinuiſſe. Nec huiuſmodi videtur eſſe contemnenda opinio, videlicet per eius adorationem Columnæ, nõ miracula ſolũ ſuper Naturã edita eſſe, (qđ etiam factum non eſſe, quis audet affirmare?) at gratias certe multas, valdeque memorabiles, vexatis animis illi ſe fideliter commendantibus, conceſsiſſe Deum, vota indicant applicata. Hoc ſacellum, & hæc Columna, in peculiarẽ à Perilluſtri, & Reuerendiſs. Domino D. Rodulpho Palæoto Imolenſis Gregis Paſtore vigilantiſsimo, protectionem ſuſcepta nuper eſt, ad Parochialemque curam, cum magno propinquæ totius viciniæ cõmodo redacta; quotidieque parem hac tranſeuntibus peregrinis pietatem ſuppeditans, indigenis commodum ſingulare, ipſique Reuerendiſs. Paſtori meritum, cum ſummo Deo, ac dignitatem inter homines adaugens, & ædificatione temporali, & ſpiritualibus Indulgentiarum theſauris, vehementius locupletatur. Hanc ſuper Cellam ad Meridiem ruderum copia, & aliquæ etiã vetuſtæ, vt antea ſignificatum eſt, parietinæ, reperiuntur, forum Syllæ vetus ibidem fuiſſe teſtificantes, quod ab ex-

ternis pariter, ut hiſtoriæ memorant, ac à ciuilibus, bellis, ut de Claterna olim Ciuitate, per Aemyliam haud longè diſtanti, fuiſſe poſtea dicitur euerſum. At meliori multò, quàm Claterna contigit, fortuna fauente; euerſa .n. Claterna, nulla fuit amplius reædificatione reſtituta, ſed ex eius, ut fama ſonat, ruinis Caſtrum Sancti Petri, Bononienſis Regiminis Iuriſdictio peruetuſta; & Inſubriæ, ac Romandiolæ finis diuiſiuus, exinde fuit ædificatum: Syllæ verò forum multo, & ſitus, & Politiæ augumento eſt reſarcitum; Imolaque à Chriſtianis poſt paulo meliori equidem vocabulo nuncupatum.

Agnita ſancti huius Martyris bene, & exemplariter acta vita Syllanis etiam poſt eius mortem ſic arriſit, ut in media reædificata vrbe illi Tēplum, & ſepulchrū, ut captus temporis tunc erat, valde magnificum, conſtituerent, additoque in diuturniorem facti notitiam titulo, & Pictura, eius ordinem exprimente, conſecrarent. Ad quod cum celeberrimus Poeta Prudentius Romam ſe conferens, diuino quaſi ducente conſilio, perueniſſet, ab interrogato Templi Aedituo, quid memor ille titulus Pictnraque illa ſignificarent, de ſæuitia in ſanctum Martyrem exercitata fuit abunde commonefactus. Quare in intimis pij cordis viſceribus extimulatus, & inſolita quadam miſericordis affectus ratione correptus ſancto illi, ut & fælix, quod aggreſſus erat, ſibi iter concedere-

tur,

tur, & negotium, quod Romam peracturus accedebat, exitum ſuæ menti reſpondentem ſortiretur, efficaciter ſe commendauit; quorum vtrumque Sancti Caſſiani, cui ſe commendauerat, meritis intercedentibus, ex voto, ita conſequutus eſt, vt paſſionem, mortem, & gratiam ſibi præſtitam eligeret Epodo carmine celebrare, & ſcripto eleganti vniuerſis hominibus id, quod ex vno ſimplicis tantum picturæ aſpectu videre ſibi contigerat, teſtis quaſi oculatus aperiret; Vt in his duobus potiſſimum carminibus cognoſcitur aperuiſſe.

» Audior Vrbem adeo dextri ſucceſsibus vtor
» Donum Reuertor Caſsianum prædico &c.

FINIS.

Errata grauiora.		*Correcta.*
Pag.2.ver.10.	præcipuum que	lege præcipueque
	Alexandrique	Alexandrię
ver.25	habeatur	habeantur
6. ver. 8.	continue	continuo
8. ver. 9.	ad numerum	ad numero
10. ver.21.	cognoſceretur	cognoſcetur
12. ver. 3.	ante Imperium Neronis	ante Imperiū, Neronis
13. ver. 15.	circumfertur	circum eratur
ver. 17.	animaduertis	animaduertet
16. ver. 1.	Ponti	Pontificis
	& felicis	Fælicis
18. ver. 3.	ſignificatus	ſignificetur
ver. 18.	executor?	executor.
19. ver. 7.	Babellæ	Babillæ
ver. 23.	iurauit	curauit
21. ver. 4.	ὁμαίοτολον	ὁμοιουσιολον.
24. ver. 16.	remiſsionis	remiſsioris
25. ver. 8.	arte	ante
26. ver. 19.	Caſiæ	Caſcæ
ver. 23.	Arctis	artis
28. ver 17.	memorat	memorant
30. ver. 6	Bitenenſi	Biterrenſi
ver. 7.	Solomine	Sozomene
31. ver. 14.	quærebet	quærebat
33. ver. 19.	Tirenem	Tironem
35. ver. 5.	Pontifice	Pontifici
ver. 10.	Religionibus	Religionis
ver. 12.	Thonſa	Thenſa
36. ver 5	Mellinus	Millinus
ver. 16.	ad ſanctorum, adq;	ad ſanctorum gloriā, adq;
37. ver. 8.	non miracula ſolum ſuper	ni miracula ſuper
pag. vlt. ver. vlt.	Donum	Domum

Cætera iudicioſus lector agnoſcet.

44 954166